



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Instructio scrupulosi pro se ipso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

voto si recreationis causa, vel negotij inveniaris lauteri, & ibi Sanctissimam Virginem visites? Respondeo satisfieri, non solum si illuc eas animo & visitandi, & negotiandi, ut certum est ex Castro P. tom. 3. r. 15. diff. 1. cap. 12. n. 9. & 10. sed etiam si casu illic inveniaris, & non animo visitandi, illuc accesseris. Ratio est toties repetita quia certus es de tua libertate, incertus autem in cluseris dictum laborem peregrinationis, atque adeo nunquam adit votum de labore, ego praevalet libertas. Quando est dubium, qualis sit finis voti, malusne an bonus, an in differens, utrum valeat votum, dicitur commodius lib. 3. cap. 15. §. 2. n. 10. Super sedeo à sexcentis similibus; nam ex allatis facile non allata diluentur.

Vsura. Vide verbo Mutuum.

Atque hæc de conscientia dubia nimis fortasse contra nostrum institutum prolixa, sed profecto nequaquam inutilia, sufficiant.

§. VII. De Conscientia scrupulosa. Unde oriatur, & quomodo cognoscatur scrupulus.

1. **E**X dictis supra, §. 1. num. 6. cognoscis scrupulum esse leve fundamentum, seu argumentum, quo quis movetur ad credendum aliquid omen esse, quod vera non est: scrupulosum autem esse illum, qui motus ex his levibus fundamentis existimat cum errore, vel dubitat, aliquid esse peccatum quod non est. Oritur ejusmodi scrupulus ex variis causis, scilicet ex dæmone suggerente, ex consortio cum hominibus scrupulosis, ex ignorantia, addita quando ingenij perspicacia, qua quis cognoscit objectiones contra suam actionem, sed nescit eas solvere, ex capitis imbecillitate, seu lensione imaginationis, ex mala corporis constitutione, præsertim melancholia, ex animi infirmitate, præsertim pusillanimitate, ex nimio amore sui ipsius, ex lectione librorum casuum conscientie in indocto, ex Deo &c. disponente, &c. ob penam multorum peccatorum, quæ quis commisit in adolescentia, sit ob majus hominis bonum, ejusque exercitium, & purgationem. Ita Azor. p. 1. lib. 2. cap. 20. q. 5. Sair. lib. 2. cap. 14. num. 19. Rodrig. in summa 2. cap. 5. n. 1.

2. Sed difficultas hic in eo versatur, æquanim ratione, quis deprehendat sua argumenta scrupulos esse, sive esse scrupulosum; ipse enim semper putat illud, quo hic, & nunc movetur ad credendum, hoc esse peccatum, cum non sit: non esse leve argumentum, sed grave, & solidum; Si enim esse leve adverteret, jam non fineret ab illo moveri, atque adeo scrupulosus nequaquam esset.

3. Dico (hic & nunc) nam non raro contingit, ut quis sive ex dicto Confessoris, sive ex experientia, quod sua argumenta, quæ aliis sibi solida videbantur, invenit levissima, se cognoscat esse veluti habitualiter scrupulosum: verum deinde, in singularibus actionibus, levissima illa fundamenta ipsi offerantur ita gravia, ut secundum illa cogatur operari, & consequenter errare.

Confessarius certe, sive alius, vel mediocriter doctus facilius scrupulos aliorum, quam suos deprehendit quia in re aliena facilius actionum momenta, qualia sunt, cognoscuntur. Quoniam igitur scrupulosum ex se sua actualia damna cognoscere difficile est utatur sequentibus remediis mox afferendis.

Equidem, qui scrupulis angitur, caligat aliquando in una materia, aliquando in omni: Alij scrupulis opprimuntur in peccatis præteritis perperam, (ut ipsi putant, seu sine dolore confessi: alij in actionibus præsentibus exhibendis: Alij in cogitationibus, quibus se semper consensum præbuisse formidant: Alij in alijs, ideo remedia sequentia partim universalia sunt, partim in uno, aliòve genere, ut nimirum iis uti quisque possit, quibus indiget.

Instructio Scrupulosi pro se ipso.

4. Primum, & penè dixerim, unicum remedium est pro omni classe scrupulosorum, ut ejusmodi morbo laborans eligat pro Confessario, vel animæ direttore

virum doctum, & pium, cujus consilio paratus sit omnino acquiescere. Val. tom. 2. diff. 1. quest. 14. p. 4. q. 5. adiens hoc remedium continere omnia remedia. D. Antonius, Sylvestre, Navarrus ab eodem citati. Nisi sic animo sit paratus, & in operando deinde verè Confessario obediat, vel certe conetur, pro incurabili illum habere. Efficit ad me olim scemina nobilis, innumeris agitata scrupulis, totaque urbe ut talis cognita, sponendi me etiam, pro virili parte directum, modò mihi promitteret se paratū esse obsequi meis consiliis, nec ad Confessionem iterum peccata deferre, quando ego non deferenda judicarem, ad sacram Communionem accedere, quando præciperem, & alia ejusmodi. Nolit bona mulier hæc mihi promittere, quare illam ut immedicabilem dimisi, veluti dimissam deinde cognovi à pluribus prudentissimis Patribus fuisse.

Ejusmodi generis hominis, pro cerebro læsis habere non pro scrupulosis.

5. Primum igitur, ut dico, remedium est, ut scrupulos animæ suæ Directori se subdat omnino, illic credat, atque ea faciat, quæ is imponit, & quamvis ipse deprehendat gravissima argumenta peccandi, deponat libens conscientiam suam ex sola auctoritate Confessarii sic docentis. Nec erit necesse mutare suum judicium, seu habere rationes intrinsecas, quibus eva- cuet sua illa argumenta, sed satis est, ut putet se etiam stante suo illo iudicio, non peccare: & certè de facto coram Deo non peccat, quia sequens sui directoris dictamen, id quod probabile est sequitur, atque adeo prædictè prudenter operatur: ita Vasquez, Lessius, Th. Sanchez, Comich. Salas; Layman, alique apud Ioan. Sanchez. lib. 1. num. 7. & 8.

6. Secundò, quæ diximus, faciat scrupulosus, non solum ex actuali, ut ita dicam, Directoris consilio, sed etiam habituali, hoc est, implet ex se operetur juxta doctrinam Directoris, vel juxta regulas sequentes, absque necessitate eadem apud Directorem deferendi: imò nec deferat, & data opera faciat contra suos scrupulos prudenter enim gerit, ita operando, quod si forte inveniat aliquando se verè malè egisse, malè quidem materialiter se gessisse, non verò formaliter, atque adeo non peccavisse, pro certo & explorato habeat: ita Vasquez, Sayr. Valencia citati à Ioan. Sanchez. item Merolla tom. 1. diff. 2. cap. 2. dub. 3. num. 381.

7. Tertiò, nihil putet esse mortale, nisi quod manifestè, & absque formidine mortale videatur, v. g. non putet se consensisse turpi cogitationi, infidelitati, blasphemie, &c. nisi certò, & penè dixerim evidenter videat consensisse, consensisse autem difficillimum sanè est in timoræ horum conscientis, qui potius mori eligerent, quam turpiter peccare. Expedit etiam similes cogitationes spernere; nec eas ut peccata aperire Confessario; peccata enim verè non sunt: ita Granad. p. 2. tr. 12. d. 5. num. 8. Imò aliquando potest quis adeo esse scrupulosus, ut nisi jurare possit illud esse mortale, credere non debeat esse mortale; ita Vasquez p. 2. diff. 67. cap. 7. num. 3. Addit Ioan. Sanchez l. c. num. 24. fin. & meritiò, aliquos ita scrupulorum tenebris offundi, ut quod imò in mentem venit, statim admisisse putent, (cognovi ego quosdam hujus ingenij.) Igitur etiam si putent se posse jurare in cogitationibus ejusmodi mentem voluntariè fixisse, sibi persuadeant non ita esse, & tunc solum credant peccasse, quando in actum exteriorem proruperunt.

8. Quartò, Qui confessus est diligenter, ut sibi tunc videbatur, uno verbo, bona fide, & deinde incipit dubitare, an sit confessus aliquid peccatum, vel circumstantiam, vel numerum, an cum dolore, &c. certò credat ritè se gessisse, nec indigere nova confessione, licet aliqua peccata relinquenda sint per accidens, non confessi, ita Cajet. v. Scrupulus, qui vehementer commendat hoc consilium. Castro P. tom. 1. tr. 1. diff. 4. part. 2. num. 4. & quidem Sà v. Dubium, num. 5. sic scribit: Scrupulosus non tenetur sateri, nisi quæ potest jurare, & fecisse peccata.

